





B. N.  
309.

Xm. 195.

DISPUTATIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

XVI.

Et Ultima.

*Ex Capitibus 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.*

*25. 26. & 27. quod ultimum Libri quin-  
ti Galeni de simplicium medicamento-  
rum facultatibus, excerpta:*

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Argen-  
toratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-  
reo, ac Reipubl. Archiatro:

*Respondente*

CHRISTIANO BUCKISIO,  
Carnovia-Silesio.

⚔⚔⚔⚔

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LI.

DISSENTIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

Ex Capitulis 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

M. G. H. O.  
D. O. C. T. O. R.  
M. G. H. O.  
D. O. C. T. O. R.  
M. G. H. O.  
D. O. C. T. O. R.





# PROBLEMA

I.



Uotuplices sint facultates medicamentorum ἀλεξητήριοι καὶ ἀλεξιφάρμακοι? Duplices: quaedam alteratrices: nonnullae vacuatrices, quae scilicet ex corpore patiente educunt,

ἢ τὸν φαρτικὸν ἰόν, corrumpens venenum: ἢ τὸ δυνήσιο φάρμακον, aut deleterium medicamentum. Quae alterant, vel id faciunt una solum, vel gemina qualitate: vel κατὰ τὰς ὅλας ἰσῖας, tota substantia. Quae vacuant, aut id praestant τῇ τῆς ὅλης ἰσῖας ὁμοιότητι, totius substantiae similitudine: aut τῇ λεπτομερῇ θερμότητι, caliditate subtilium partium. Itaque quatuor utilitates ab istis facultatibus proficiscuntur: duae ἀλλοιωτικαὶ alteratrices, & duae κενωτικαὶ, evacuatrices.

Ἀλλοιωτικαὶ verò rursus vel manifesta, vel occulta qualitate operantur. Nam si medicamentum δυνήσιο, aut ὁ ἰὸς ὁ τῷ ζῷ, venenum animalis sit frigidum, remedium petendum est à rebus calefacientibus: si calidum, à refrigerantibus: si humidum, ab exiccantibus: si siccum, ab humectantibus: si calidum & siccum, à refrigerantibus & humectantibus: si frigidum & humidum, à calefacienti-

cientibus & exiccantibus: & sic in cæteris conjugationibus.

Verum, neque obscura est illa alteratio, quæ fit à tota substantia. Nam quæ deleteria pharmaca alterant, mediam naturam habent inter corpora laborantia & inter ipsa medicamenta ledentia: quia eadem est proportio corporis laborantis ad medicamen ἀλεξιτήριον, quæ illius ad deleterium: & rursus deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus. Quæ causa est, quod prope modum ea omnia, quæ deleteriis adversantur, graviter animantis corpus offendant, si largius fuerint assumpta. Ideoque talia medicamenta ea in quantitate usurpanda sunt, ut neque nimia dosi corpus ledant, neque exiguitate sua à deleteriis vincantur. Lib. 5. c. 18.

## II.

Quot modis deleteria venena è corpore à medicamentis foris impositis evacuentur? Duobus: nempe aut caliditate τὴν ὀλίγην, attractionem moliendo: aut τῆ τῆς ὅλης ἑστίας ὁμοιότητι, totius substantiæ similitudine. Verum & hic ipsum ἀλεξιτήριον maxime oportet esse medium, corporis scil. quod curatur, & veneni ledentis, quod evacuatur. Nam quæ corpori sunt adversissima, in ipsum corpus potius agunt, ceu δηλητήρια, nequaquam τὸν ἰόν, venenum evacuant. At ἀλεξιτήρια exturbare venenum, non in corpus ceu deleteria agere debent. Ergo illa μέσα esse decet.

Notandum enim, omnes deleterias facultates  
corpo-

corporibus τῆ κρᾶσει esse ἐναντιώταται, quæ ab ipsis  
leduntur. Quare si à similibus temperie medica-  
mentis evacuentur, erunt & hæc corporum natu-  
ris contraria. Sunt tamen & πῶς, quadantenus  
contraria, non tamen adeò, ut interimant, sed po-  
tius ἐπαμφοτέρως, ambigant, scil. in medio po-  
sita eorum, quæ corpus animantis ἀνίκευς, apertè  
ledunt, & quæ juvant.

Observandum & istud, quòd nihil intersit  
δυναμικῶς δυνάμεις, deleterias facultates, an φθα-  
σικὰς, corruptrices, an φθοροποιεῖς, interitus geni-  
trices, an alio quovis modo appellare volueris. Si-  
militer, quòd nil referat, ἀλεξήριαι, an ἀλεξίφαρ-  
μάκιαι δυνάμεις dixeris. At tamen, si qui ea medica-  
menta, quæ venenatorum animalium ictus, aut ve-  
nena sanant (τὰ ἰατρικὰ μὴ τῶν ἰοβόλων θηρίων)  
ἀλεξήρια nominare velint: quæ vero deleteriis  
medicaminibus medentur, ἀλεξίφάρμακα nuncupa-  
re, velut quidam censuerunt, disceptandum cum  
istis de nominibus non est. ἔ γὰρ ἐκ τῶν ὀνομάτων  
τὸ προσηκόντως ἰατρικὰς τὰς νόσους, ἀλλ' ἐκ τῆς τῶν  
πραγμάτων παραγίγνεται ἐπισήμη, nec enim ex  
nominibus curandi morbos peritia, sed ex rerum  
cognitione comparatur. Lib. 5. c. 18.

### III.

Quæ sint ἄνως, reverà ἀνώδυνα, παρηγορικὰ  
καὶ πρηνήικα, dolorem lenientia & sedantia,  
quæ nomine tantùm? Facultas reverà anody-  
na est eorum, quæ primo ordine calefaciunt, &  
substantiæ sunt tenuis. Anodyna autem facultas,

29 3

quæ

quæ non ὄντως, sed nominatenus duntaxat anodyna est, illorum est, quæ frigida sunt, & frigiditate sua partem stupefaciunt. Est verò stupor, ὁ ὑπὸν, paulò minus, quàm ὁ ἀνοῦστος, insensibilitas, sive sensus privatio.

Sunt & quedam alia, quæ improprie ἀνώδυνα appellantur, nimirum ea, quæ affectum sanando dolorem sedant. Hoc enim commune est omnium, quæ curant, h. e. morbum ejusque causam tollunt. Proinde, quæ ὄντως ἀνώδυνα sunt, partium esse tenuium, & calidiora esse τοῖς συμμέτροις debent. Probat hoc Galenus sequenti argumento.

Quæ remedia debent vacuare, digerere (διαπορεῖν) rarefacere, extenuare, concoquere, & equabile reddere (ἰσοποιεῖν) quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut crassorum, aut multorum, exilibus poris infartorum, aut etiam quicquid spiritus vaporosi, crassissimi, vel admodum frigidi, exitum commodum non habentis, inheret atque inclusum est, ea tenuia & calida, sed mediocriter, nimirum paulò calidiora τοῖς συμμέτροις esse debent. ὄντως dicta ἀνώδυνα hæc omnia præstare tenentur. Ergo necesse est, ut tenuia sint, & τοῖς συμμέτροις paulò calidiora.

Quapropter nihil prorsus adstrictionis habere debent, ne si pars quidem, aut affectus ipsi eam poposcerint.

Hinc sequitur, I. quod reverà dicta anodyna interdum ipsum affectum non juvent, sed solummodo



modò dolorem mitigent. *¶* quod aliquando affectum juvent, & duplicem habeant facultatem, anodynam & sanantem: de quibus in voluminibus therapeuticis differitur. Impresentiarium dixisse sufficiat, quòd quedam propriè dicta anodyna calida sint gradu primo, ut oleum anethinum: quedam verò perinde ut corpus humanum, cujus generis sunt τὰ διακωνικά, pus moventia:

At quæ καλαφρογὰν, soporem epota moliuntur, ac propterea ἀνώδυνα καὶ ὑπνωτικά, soporifera à ple-  
risque nominantur, κρᾶσις habent summè contra-  
riam ijs, quæ reverà sunt ἀνώδυνα. Confirmat hoc Galenus tali syllogismo.

Quæ corpus refrigerant, & sensum eò usque stupefaciunt, ut si paulò assumantur liberaliùs, mortem adferant, ea anodynis propriè dictis ratio-  
ne craseos & virtutis summè sunt contraria. At  
medicamenta ὑπνωτικά καὶ ναρκωτικά hac faciunt.  
Ergo anodynis propriè appellatis summè contraria  
sunt.

Si quærat, quenam inter τὰ ὑπνωτικά ad dolorem mitigandum, somnumque conciliandum præstent, responderet Galenus, ea, quæ siccant. Nam quæ præter frigiditatem etiam copiam humiditatis habent, veluti cicuta, ea potù utilia non sunt. Hujus generis sunt mandragora, cortice ejus sicco excepto, & hyoscyamus, præter semen. Vbi tamen sciendum, quòd semen hyoscyami albi melius sit nigri. At sunt, quæ ὄλας τὰς ὑόλας nobis sunt contraria. Itaque si vel minimum eorum fuerit

assumptum, πάντως βλάβησι, omnino nos ledunt.  
Talia sunt dryopteris, pityocampe, thapsia, solanum  
furiousum, hydrargyrus, & quedam fungorum ge-  
nera, nec non saliva & fel ἰοβόλων, venenatorum  
animalium. Hæc enim omnia τῷ γένει, ἢ τῷ ποσῷ,  
genere, non quantitate deleteria sunt: ac proinde  
nihil eorum in ἀλεξήνησις ἀντιδότες inditur: velut  
succus papaveris, myrrha, styrax & crocus. Hæc  
enim si largius sumantur, quedam ἐκμαίνουσι, de-  
mentant: quedam θάνατον ἐπιφέρουσι, mortem in-  
ferunt: verum convenienti mensura aliis admista  
iuvant. Porro, quæcumque inter ea mentem le-  
dunt, statim etiam pleraque caput degravant,  
pravorum halituum copia illud implentia. Sed  
quedam ventriculi orificium tentant atque affli-  
gunt, ut inde caput per consensum afficiatur.  
Communiter verò omnia duobus modis cerebrum  
ledunt: vel quia tota substantia sunt contraria:  
vel quia una, duabusve qualitatibus temperatu-  
ram immutant, Lib. 5. c. 19.

#### IV.

Cum omnes τὴν καθαρικὴν δύναμιν, purga-  
toriam facultatem in ore habeant, non omnes  
tamen quot modis ea accipiatur, intelligant,  
quæritur, quot ergo modis usurpetur? Duobus.  
Primum enim καθαρικὰ in genere ea dicuntur,  
quæ ὁσώσῃν ἐκκαθαίρουσι τὰ τῆς ζῶης περιττώματα,  
quovis modo excrementa animalis expurgant.  
Deinde καὶ ἐξοχὴν ea καθαρικὰ vocantur, quæ  
aut per vomitum, aut per alvum vacuant.

Hujus

Hujus generis non est ea vacuatio, qua fit per  
nares, aut per os. Vocant autem Græci ea medica-  
menta, quæ capitis purgandi gratia infunduntur,  
ἐπιίνα, nasalια, sive caputpurgia. Appellant verò,  
quibus vel os colluitur, vel quæ dentibus conterun-  
tur & mastlicantur, ἀποφλεγμαλιζόντα, eorumque  
facultates ἀποφλεγμαλικὰς nuncupant. Ejusdē clas-  
sis ea quoque sunt, quæ utero admota expurgant.  
Nam quæcunque καθάρσει, purgare diximus, ἐκκα-  
θάρσει δυνάμιν, trahendi vim possident: alia unum  
quempiam humorem, alia duos, aut etiam plures.  
Hoc enim ipsis est commune. Nam quæ crassos  
lentosque humores extenuando, aut ciere possunt  
urinam, aut expectorare, ea quidem ἐκκαθάρσει,  
expurgare dicuntur, at supra dictis ἐχ' ὁμοίως, non  
similiter: verum alia vocantur ἐπιίνα, urinam  
moventia, alia βήχικα, extussientia, alia ἐμμήνων  
ἀγώγαι, menses cientia, hoc nomine à superioribus  
diversa, quod non habeant vim familiarium suc-  
corum attracticem, ut illa. Quapropter in ejusmo-  
di vacuantib. presidis sermo noster alium διοσι-  
σμὸν, distinctionem requirit, qui iste est. Quæ præ-  
sidia in forma pessorum, aut sumentorum, aut  
quavis alia, utero adhibentur, ea duplici ratione,  
(κατὰ δύναμιν ἀλλοίαν) operari consueverunt. Etenim  
alia calefaciendo solum provocant: alia faculta-  
tibus ἐκκαθάρσει καὶ καθαρῶσεως vacuationes pera-  
gunt, quæ, ut ex dictis liquet, ὁμοιότητι τῶν ἐλκο-  
μένων, trahendorum familiaritate operantur. At  
quæ hanc ob causam bibuntur, ut sanguinem ex-  
tenuent,

tenuent, & obstructos meatus aperiant, ea ἰατρικῶν  
καὶ δυνάμει minimè vacuant. Et priora quidem  
τοῖς καθαρῶσιν ὁμογενῶσι ἐσὶ, cum purgantibus ejus-  
dem sunt generis. Secunda verò cum ἰσ, quæ lac  
& semen generant, de quib. paulò infra dicemus,  
ubi prius de bechicis fuerit dissertatum: quando-  
quidem & hæc gemina sint: partim quia tussim  
provocant, partim quia illam sedant. Atqui con-  
trarie sunt horum facultates. Alia enim exte-  
nuandi facultatem possident, alia incrassandi. Et  
extenuandi quidem virtus ἰσ inest, quæ calida  
sunt, & subtilium partium: incrassandi verò, quæ  
sunt frigida, & partium crassarum. Libr. 5. c. 20.

V.

Qualia sint τὰ γαλακτοποιητικὰ, & quotupli-  
cia? τὰ γάλακτι & ποιητικὰ, quæ lac gignunt, tri-  
plicia sunt: quedam alimenta, quedam medica-  
menta, quedam alimenta & medicamenta simul.

Ea verò medicamenta lac producunt, quæ hu-  
mores pituitosos calefaciunt, & in sanguinem ver-  
tunt. Illa verò alimenta lac generant quæ 1. sunt  
ἰσχυρὰ, boni succi. 2. μετριῶς ὑγρὰ, moderatè  
humida. 3. θερμότητι & χλιαρῶσιν, tepidè calida,  
veluti lac ipsum.

Probat hoc Author tali argumento, hoc premis-  
so fundamento, quòd materia lactis sit sanguis.

Qualis igitur est materia, tale est & materia-  
tum. At materia lactis sanguis est ἰσχυρὸς, με-  
τριῶς ὑγρὸς, καὶ χλιαρὸς θερμῶς. Ergo & materia-  
tum, lac, tale est. Flava namque bilis mediocri-

tatem

tatem in calore excedit : pituita in frigore. In medio autem sanguinis & pituita lac est : longius tamen abest à pituita : propius autem ad sanguinem accedit. Quæ ergo lac producunt, talia esse debent, uti modo dictum, scil. εὔχυμα, μετρίως ὑγρὰ, καὶ χλιαρὸς θερμὰ. At & alimenta, & medicamenta quedam lac producunt. Ergo debent esse εὔχυμα, μετρίως ὑγρὰ καὶ χλιαρὸς θερμὰ :

Quod autem sanguis sit lactis materia, sic probatur. Si sanguine aucto, lac augetur, & purificato, lac redditur melius, sequitur, sanguine lactis esse materiam. At prius verum est. Ergo verum & posterius.

Prius probat Galenus. Si lac paucius fit in uberibus, quam conveniat, & copiosius redditur per humectantem & calefacientem dietam, qui sanguinem auget, infertur, sanguine aucto lac quoque augeri. Antecedens verum est. Ergo & consequens.

Rursum, si lac fit purius & copiosius, sanguine vitioso purgato, v. g. bilioso, & alterato per humectantem & calefacientem dietam; pituitoso autem per medicamenta primo secundoque ordine calida, non sicca tamen, alterato, concluditur, sanguine purificato & mutato, lac reddi melius. Prius veritati consonum est. Ergo & posterius.

Si quærat, quænam inter ejusmodi γαλακτοποιητικὰ sint καλλία, potiora? Respondet Galenus ea, quæ non tantum sunt medicamenta, sed etiam nutrimenta: ut eruca, fœniculum, anethum:  
fi scil.

si scilicet haec simplicia fuerint viridia & humida.  
Nam sicca plusquam oporteat calefaciunt & sic-  
cant: cuiusmodi sunt smyrnium, apium, sion, po-  
lium: quae usurpanda in lactis productione, cum  
virent & succulenta sunt, non cum iam siccata.

Etenim, quae materiae lactis depascuntur, ipsam-  
que crassiorem simul & pauciolem, adhaec iusto  
etiam calidiorlem efficiunt, ea ad γαλακτοποιήσιμην  
accommodata non sunt. At recensita iam simpli-  
cia, si iam sint siccata, haec faciunt. Ergo ad γα-  
λακτοποιήσιμην accommodata non sunt. Sanguis enim  
modicè calidus esse tenetur, ne utiquam crassus, ut  
lac generet. Itaque, quae vel sunt calidiora, vel  
frigidiora, lac potius extinguunt, quam procreant.  
At quae tepidè sunt calida, nullamque insignem  
adjunctam habent siccitatem, merito γαλακτοποι-  
ήσιμην censentur. Sed numero sunt perquam pau-  
ca. Nec enim facile inventu est simplex, quod  
propositam in κρείσσει συμμετρίαν habeat: infinita  
autem, ut sic loquamur, & numero incomprehen-  
sa, quae lac ledunt. Nam quaecunque ultra modum  
calefaciunt, quaeque desiccant, aut refrigerant,  
partim sanguinis qualitatem vitiando, partim  
ipsum minuendo, lactis generationem impediunt.  
Libr. 5, c. 21.

## VI.

Qualia sint illa pharmaca, quae menses  
provocare, aut sistere possunt? Dictis vim ha-  
bent adsimilem. Vtrorumque enim communis est  
materia, sanguis scilicet in venis contentus. Quare  
ubi

ubi hic fuerit εὐρῆς ἀμα, καὶ τῆ ποσότητι σύμμε-  
τρος, fluxilis simul, & in quantitate moderatus,  
utique abundantem mensium suppeditat copiam.  
Communes etiam mammis & utero venæ sunt  
haud exiles. Ideoque, ubi ad alterutram harum  
partium sanguis defertur, altera siccescit. Hinc  
accidit, ut quibus menses συμμέτρως fluunt, ijs lac  
in mammis non colligatur: quibus verò lac suppe-  
dit largiter, ijs menses planè supprimantur.

Quocirca mirandum non est, si tum alimenta,  
tum medicamenta utrobique sint similia: nimi-  
rum & ea, quæ generant sedantque menstrua, &  
illa, quæ lactis generationem procurant in mam-  
mis, & illud etiam supprimunt. Libr. 5. c. 22.

#### VII.

Quomodo medicamenta καὶ ἀμνησίων ἀγωγὰς  
menses moventia & τὰ γαλακτοποικτικὰ inter  
se differant? Purgatio menstrua calidioribus  
magisque incidentibus medicamentis nonnunquam  
eget. Id quod hoc pacto planum fieri potest.

I. Quæ venæ magis debent aperiri, eæ calidio-  
ribus & magis incidentibus opus habent pharma-  
cis. At venæ uterinae magis debent aperiri, quàm  
quæ ad mammæ tendunt. Ergo opus habent phar-  
macis magis incidentibus.

II. Quæ venæ fluxilem magis sanguinem re-  
quirunt, illæ etiam calidiora magisque aperientia  
postulant remedia. At venæ uterinae fluxilem ma-  
gis requirunt sanguinem. Ergo.

Minor probatur. Quæ venæ sanguinem non  
attra-

attrahunt, sed aliunde missum solum excipiunt, ea fluxilem magis sanguinem requirunt. At vena uterina sanguinem menstruum non attrahunt. Ergo fluxilem magis sanguinem requirunt.

E contra, quæ venæ sanguinem non solum aliunde ad se translatum excipiunt, verum etiam trahunt atque alliciunt, ea minus fluxilem sanguinem postulant, & consequenter levioze opus habent medicaminum subsidio, cum sanguis non abunde in eas confluit. At venæ mammarum non solum aliunde ad se translatum sanguinem excipiunt, verum etiam illum trahunt, atque alliciunt. Ergo leviori opus habent subsidio, & per consequens medicamentis minus calidis, leviusque incidentibus.

Hic si quæeratur, num medicine, quæ juvant, ut sanguis ad mammas eat, etiam deficientia & imperfecte fluentia menstrua promoveant? respondetur omnino. At si plane sint suppressa, nihil prodesse: sed requiri valentiora: utpote sabinam, meum, iridem, calamintham, pulegium, dictamnū, asarum, costum, cassiam, cinnamomum, amomum, aristolochiam, buviam. &c. Lib. 5. c. 22.

#### VIII.

Utrum talia simplicia, quæ omnimodas menstruorum suppressiones sanant, etiam urinas cieant? Maxime. Verum à diureticis differunt, quod non vehementer desiccant. Calida quippe sunt. At calefactio trib. medicaminum generibus est communis, lac progredientibus, menses cienti.



cientibus, & urinam ducentibus. Differunt tamen  
τῷ ποσῷ, mensura caloris. Tūm etiam, quod quæ-  
dam desiccant, quedam non. Nam quæ non desic-  
cant, & modicè calefaciunt, lacti generando sunt  
utilia. Quæ plus calefaciunt, non tamen valenter  
desiccant, mensibus eliciendis congrua sunt. Vtraq;  
tamen urinas provocant, & adhuc cumprimis illa,  
quæ calefaciunt & desiccant. Et propt. r hoc ea  
peculiariter dicuntur διουρητικὰ, non quia sola  
urinas moveant, sed quia solas, & non etiam men-  
ses, aut lac. Nam desiccantia præter alia etiam  
expectorationi sunt incommoda. Poscunt enim quæ  
pulmoni & pectori inhaerent & ipsa incidi qui-  
dem, at non sicari: quemadmodum nec renum  
vesicæque calculi. Libr. 5. c. 22.

IX.

Quotuplicia sint illa simplicia, quæ circa  
semen genitale versantur? Galenus respondet,  
quemadmodum quedam lac generant, quedam  
extinguunt: & rursus sicuti alia id provocant, alia  
supprimunt: sic etiam quedam sunt σπέρματ<sup>ος</sup>  
γεννητικὰ, semen generantia, quedam, quæ illis  
contraria, σβητικὰ, quæ id extinguunt. Similiter  
quedam προκλητικὰ, provocatoria, quedam, quæ  
etidem his sunt contraria, ἰπισχετικὰ, quæ id  
supprimunt.

Ac γεννώντ<sup>α</sup> quidem, generare dicuntur ea,  
quæ procreant, quod antea non erat: σβητικὰ autē,  
τὰ φθέρωντ<sup>α</sup>, extinguere censentur, quæ corrup-  
punt. Προκλητικὰ vero, provocare iudicantur, quæ  
quod

quod in alio delitescerat, in apertum proferunt:  
hisce vero contraria sunt τὰ ἐπισχετικά, quae sup-  
primant. Libr. 5. c. 23.

X.

Qualianam sint τὰ σπέρμαλοποιήτικα? Quae  
semen generant, vel cibi sunt, vel medicamenta.  
Cibi semen generantes sunt, qui τρόφιμοι, bene  
nutriunt, qui φυσώδεις, flatuosi, qui τὰς ὄλαις  
ἰσίουσ οἰκῆοι, totis substantiis familiares.

Medicamenta vero semen creantia sunt, quae  
πνευματώδη καὶ θερμὰ, flatuosa & calida. Extin-  
guunt autem semen, τὰ ξηραίνοντα πάντα, omnia  
quae desiccant, τὰ ψύχοντα πάντα, omnia quae re-  
frigerant, τὰς ἰσίουσ ἐναντία, quae totis substantiis  
sunt contraria.

Quod autem ea, quae semen tum gignunt, tum  
procreant, bene nutrire & flatuosa esse debeant,  
hoc pacto stabilitur.

Si seminis substantia ex bona utriusque super-  
fluitate generatur, estque simul etiam flatuosa,  
necessum est, ut quae illam gignunt itidem talia  
sint. At prius verum est. Verum ergo & posterius.

Ex genere autem ἰδωμάτων, esculentorum  
sunt v. g. bulbi, cicer, faba, polypodes, conus &c.  
Haec enim omnia πολύσπερμα sunt.

Ex albo vero φαρμάκων sunt scincus & saty-  
rion.

Ex familia denique eorum, quae simul sunt &  
τροφή, & φάρμακα, πολύσπερμα sunt, semen lini  
& cruce.

Que

Quae refrigerant, sive edulia sint, sive medica-  
menta, adhuc quae semen incrassant, cogunt, &  
stabile reddunt, semen quidem supprimunt, non  
autem corrumpunt: ut lactuca, blitum, atriplex,  
cucurbita, mora, melopepones, cucumeres, sive sint  
ῥιτωοες, maturi, sive μη ῥιτωοες, immaturi.

Quae siccant, ne esse quidem semen permittunt,  
etiamsi naturam sint calida, ut ruta.

Si autem calida non sint, multo minus semen  
esse sinunt, ut nymphaea. Nam quae κατὰ τὴν ιδί-  
τητα τῆς ἐσίας, substantiae proprietate semini sunt  
contraria, ea semen esse non permittunt. At quae  
refrigerant & siccant, substantiae proprietate se-  
mini sunt contraria. Ergo semen esse & genera-  
ri non permittunt.

Minor probatur. Substantia frigida & sicca  
adversatur substantiae calidae & humidae. Dicta  
simplicia sunt frigida & sicca. Ergo adversantur  
substantiae calidae & humidae. At seminis sub-  
stantia est calida & humida. Ergo medicamenta  
frigida & sicca illi sunt contraria. His proportio-  
ne respondent, quae lac & menstrua augent, vel mi-  
nuunt. Nam frigida & sicca medicamenta exte-  
rius quidem testiculis admota minuunt, aut co-  
hibent semen, eademque admota mammillis lac  
tollunt: applicata vero uteri regioni menses sup-  
primunt.

In idem genus provocantium & supprimentium  
cadunt etiam, sed alio modo, expectorantia, sive  
extusientia, & diuretica. Haec enim omnia ex-

tenuandi facultate pollent : quæ hisce contraria sunt, incrassandi. Extenuantia autem, quæ expectorare & urinas ciere debent, calida & tenuium partium esse debent. Incrassantia vero, frigida & partium crassarum. Dictum quippe in superioribus, quod subtilitas substantiæ non solis insit calefacientibus, & crassities substantiæ non solis tributa refrigerantibus. Sunt enim frigida quaedam, quæ tenuia sunt : & quaedam calida, quæ crassa.

Ubi tamen observandum, quod non omnia, quæ expectorationem juvant extenuare & incidere debeant, sed tùm solummodo, quando è bronchiis pulmonum crassa, lenta & viscida extussire animus est. At quando fluxio est tenuis, tùm incrassantibus potius utendum, ut eò facilius per tussim eijci queat. Lib. 5. c. 23.

#### XI.

Utrum præter hætenus commemoratas facultates, quæ ab actionibus, quas exercent, petuntur, aliæ adhuc sint, quæ vel à partibus affectis, vel à partibus & actionibus simul, nomina sua acceperunt? Affirmatur. Vocantur enim quaedam ὀφθαλμικά, quæ oculos, ubi nullum in ijs sensibile τάθνημα inest, malè tamen munere suo fungentes, corrigunt, & in integrum restituant. Eadem ratio illarum est facultatum, quæ auribus, naribus, & aliorum sensuum organis atque actionibus medentur, tametsi facultas ab acumine auditus non sit ὀφθαλμικά & denominata : neque etiam

ab

ab aliorum sensuum medela, quam *ἡς* prestiterunt, nomenclaturam aliquam sit sortita.

Ceterum, quod dictum de facultatibus sensuum actionibus meliorandis inservientibus, idem etiam de illis dici potest, quæ aliarum partium actiones promovere solent. Nam in ventriculo sæpè talis deprehenditur imbecillitas, qualis est in oculis ἀμβλυωπία, visus hebetudo, cum scilicet illi nec phlegmone tenentur, nec influxu torquentur, nec ulcerati sunt, nec aliud quicquam perpeffi. Medicamenta enim, quæ ventriculi infirmitatem in concoquendo emendant, *πεπλικά* vocantur: nil quidem appellationis figura proportionale cum oxydercicis habentia, opere tamen ipso & facultate similia sunt. Quemadmodum enim *ὀξυδερκικά* visus caliginem corrigunt: sic τὰ *πεπλικά* ventriculi infirmitati in concoctione alimentorum succurrunt. Opere igitur & facultate, quæ est actionis melioratio, *ἡς* sunt similia: nomine verò ab *ἡς* diversa: quòd illa *ὀξυδερκικά*, hæc *πεπλικά* nuncupentur. Lib. 5. c. 23.

## XII.

An sint & aliæ quædam facultates, quæ à partibus corporis suam acceperunt denominationem? Sunt utique: sed sciendum, eas neque omnibus alicujus partis affectibus congruere: neque ita uni, ut alij nihil profint: sed propterea ab illa parte nomen mutuari, quòd maxime agant & operentur ea in parte. Verbi gratia, *ὀφθαλμικά*, quoniam omnium maxime & frequentissime ad

R 2

oculos

oculos adhibentur: utpote collyria δια ρόδων, δια  
πομόλυϙ, cygnum, lybianum, & similia alia,  
quibus uti quidem licet ad affectus aurium, oris,  
narium, pudendi, vel ani: sed non ita frequenter,  
nec tanto cum fructu.

Rursus alias nominamus ἰσαλικὰς, alias σπλαγι-  
κὰς, alias πλευριτικὰς, alias σωμαχικὰς: eò quòd  
ipsas ea in parte, cuius nomen gerunt, sapissimè ac  
potissimè prodesse sciamus. Libr. 5. c. 24.

### XIII.

Quid iudicandum de illis medicamento-  
rum facultatibus, quas Methodici, & inter  
hos potissimùm Thessalus introduxit? Pro-  
tulerunt illi quidem etiam σαλικὰς, fistentes, sive  
supprimentes, σφιγγίσας, constringentes, συναγύ-  
σας, contrahentes, ἀπωθιμένας, repellentes, & id  
genus alias. Et rectè quidem! quoniam dogma istud  
neque absurdum, neque obscurum est. At quando  
μιασυγκριτικὰς tùm materias, tùm facultates no-  
minant, nec aptum est, quod dicunt, nec verum,  
nec est sectæ illorum congruens, qui se fugere  
profitentur, quæ à dogmaticis opinionibus, quas  
ὑπόληψις vocant, proficiscitur, indicationem.  
Sufficere namque sibi dicunt τὰς φαινόμενας κοινό-  
τητας, apparentes communitates. Atqui δογμα-  
τικὴ ὑπόληψις est, excedentibus corporis meatibus  
ex statu naturali in statum præter naturam, exi-  
stere quædam πάθη in proprietate excedendi. Se-  
quitur verò ad hanc quasdam esse facultates ejus-  
modi καθῶν μιασυγκριτικὰς, scil. quæ commutent  
meatus

meatum alienam à naturâ confusionem. Nam  
sic Theſſali ſequaces nomina uſurpant, atque ad  
ea, quæ diuturna vexantur fluxione, ejuſcemodî  
facultates adhibent, cùm nec monſtrârint mea-  
tuum alterationes in talibus provenire affectibus:  
neq; quod hæc medicamenta μελασυγκρίειν, trans-  
mutare vitiatum meatum ſtatum poſſint, de-  
monſtrare valeant. Lib. 5. c. 25.

#### XIV.

Quo pacto contrariæ medicamentorum fa-  
cultates cognoſcantur? Ex contrarijs actionibus  
& operibus, ut toto hoc libro ſepè dictũ. Nam fa-  
cultates actiones reſpiciunt. Ideoq; contraria ſunt  
facultates, quarum actiones & opera contraria  
ſunt: v. g. facultas ἐμπλαſτικὴ & ῥυπτικὴ, infarciens  
& detergens, ἐκφρακτικὴ καὶ ἐμφρακτικὴ, obſtruens &  
infarctu liberans, μαλακτικὴ καὶ ſκλορουνῶσα, emol-  
liens & indurans, χαλαστικὴ καὶ ſυντείνῶσα, laxans  
& contendens &c. Sapores, ut adſtringens, acer,  
amarus, acidus, aut dulcis, δυνάμεις φαρμάκων non  
ſunt, ſed γευſαὶ ποιότητες, qualitates guſtabiles.  
Proinde in illis non, perinde ut in facultatibus,  
querenda ſunt contrarietates: quanquam in iſtis  
etiam duplex ſcopus eſt cōtrarietates determinan-  
di: nempe erant actiones & temperaturas, τὰς ἐνεργείας  
καὶ τὰς κρῆσεις αὐτῶν. Actiones enim illarum  
contraria ſunt: v. g. in denſando & rarefaciendo,  
in extrahendo ex alto & repellendo, in materias  
incrassando & extenuando, in meatus obſtruendo,  
ſive infarciendo & farctu liberando. Contrarie-

tas etiam deprehenditur saporum in κρᾶσι, scil.  
in primis quatuor qualitatibus, è quib. oriuntur.  
Nam quarto libro demonstratum, τὸ σῦφον, quod  
adstringit, terrenum esse & frigidum: τὸ ὀξύ, quod  
acidum est, tenue, sive subtile esse & frigidum: τὸ  
πικρὸν, quod amarum est, terrestre & tenue: τὸ  
ὑδατώδες, quod est aquosum, absque insigni qua-  
litate, sive sapore, frigidum. Sic τὸ δριμύ, acris,  
igneum est: τὸ ἀλυκὸν, salsum, terrestre & cali-  
dum, nondum tamen igneum: τὸ γλυκὺ, dulce, ca-  
lidum, sed minimè καυστικὸν, urens. Quæ verò  
sunt oleosa, omnia aquea sunt & aërea. Hæc omnia  
enim sequuntur temperamenta: & saporum inter  
se contrarij sunt secundum temperamenta, vel se-  
cundum actiones & opera. Secundum tempe-  
ramenta, quia alij à calore, alij à frigore pro-  
deunt. Alij ab humiditate, alij à siccitate oriun-  
tur. Secundum actiones & opera varijs modis  
inter se contrarij existunt. Etenim sapor adstring-  
gens contrahit, constringit, densat, repercutit &  
incrassat, refrigerat etiam atque exiccat.

Acidus incidit, extenuat, dividit, factu libe-  
rat, & perpurgat, (διακαθαίρει) circa calefactio-  
nem.

Acris perinde ut acidus agit, quantum quidem  
extenuationem & perpurgationem attinet. Differt  
autem ab acido: quoniam acidus refrigerat, acris  
verò calefacit. Item, quia acidus repellit, acris  
attrahit & digerit. Ita amarus quoque meatus  
expurgat, abstergit, extenuat, inciditque humo-  
rum



rum crassitiem absque insigni calefactione. Frigidus vero aqueus incrassat, cogit, contrahit, constringit, extinguit, atque stupefacit.

Salsus contrahit, constringit, condiendo à putredine præservat, desiccatur citra apertam caliditatem & frigiditatem. Dulcis concoquit, laxat, rarefacit.

Oleosus humectat, emollit, laxatque. Itaque facile ex jam dictis erit cognoscere, quinam sapes temperamento, quique operibus sint contrarij. Libr. 5. c. 26.

#### XV.

Cum quæ calida, frigida, humida, aut sicca sunt, non æqualiter talia sint, haud immeritò quæritur, quoniam gradus, seu limitationes sint in singulis? Galenus postquam facultates & temperamenta medicamentorum in genere explicuit, jure optimo etiam de gradibus illorum tractat. Prius verò quàm illos edoceat, duo præcepta proponit. Unum est de  $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\omega$ , cujus respectu reliqua omnia calida, frigida, humida, vel sicca dicuntur.  $\Sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\omega$  autem id vocatur medicamen, quod neque calefacit, neque desiccatur, neque refrigerat, neque humectat: & propterea neque calidum, neque siccum, neque frigidum, neque humidum existit.

Alterum de ijs, quæ à  $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\iota\alpha$  recedunt: quæ ab excedente, seu vincente qualitate suam acceperunt cognominationem: & propterea vel calidiora, vel frigidiora, vel humidiora, vel sicciora appellantur.

Rr 4

Po-

Ponit autem in unoquoque excessu τάξεις, gradus quatuor: & rursus in singulis ordines tres, nimirum τὴν ἀρχὴν, principium, τὸ μέσον, medium, καὶ τὸ τέλος, finem.

Primo in gradu calidum censetur, quod nos calefacit, verum non ἐναργῶς, manifestè & evidenter, sed ut opus sit aliqua demonstratione & probatione logica. Sic calidum, frigidum, humidum & siccum primo gradu statuitur, quod similiter opus habet aliqua probatione, eò quod ἰσχυρὰν ἐπέργειαν, validam actionem nondum sit adeptum.

Secundo gradu calefacere, refrigerare, humectare, & siccare dicuntur, quæ σαφῶς, manifestè hæc agunt.

Tertio, calefacere, refrigerare, humectare & siccare perhibentur, quæ sic operantur σφοδρῶς, vehementer, & μὴν εἰς ἄκρον, non summè tamen.

Quarto gradu ea hæc actiones exercent, quæ summè operantur. V. g. calida quarto dicuntur gradu, quæ urunt, crustasque efficiunt. Frigida, quæ vehementer refrigerant, & adeò quidem, ut calorem extinguant.

Ceterum, nullum reperitur, quod quarto ordine desiccat, quod nos etiam urat. Nam quod summè desiccat, id etiam deurit. Attamen potest aliquid tertij esse ordinis exiccantium, quod non urat: cuiusmodi ea sunt, quæ vehementer adstringunt, ut omphacium, rhus, alumen, balauustum, galla omphacitis. Ex his autem quedam causticis vicina sunt, ut squama aris, & æs ustum, quasi inter tertium

rium quartumque ordinem sint dubia. In medio tertij est es ustum, si lotum sit: in principio tertij hypocistis. Sic verò & in secundo, & quarto ordine differentias constituere licet triplices, scilicet principium, medium & finem. Nec enim perinde urit cauterium ut wapy, tametsi ambo quarti sint ordinis calefacientium, de quibus tamen Galenus in sequentibus 6. libris acturum se pollicetur, & ostensurum, quo gradu, quoque gradus ordine quodlibet simplex calidum, frigidum, humidum aut siccum existat. Libr. 5. c. 27.



## COROLLARIA.

### I.

**A**N medicamenta quædam lac & semen generent, hoc nomine γαλακτοποιήτικα καὶ σπερματοποιήτικα rectè appellata? Et alimenta, & medicamenta nonnulla vulgò quidem lac & semen generare dicuntur, sed neutra id faciunt per se, verùm sola facultas glandularum mamillarum concoctrix est illud lactis principium efficiens, & sola vasa seminaria semen produciunt. Vnde etiam lactis & seminis procreatio actiones merè naturales vocari solent. Attamen quedam alimenta & medicamina γαλακτοποιήτικα nuncupantur, sed suo modo. Alimenta quidem tanquam materia: medicamenta verò ut subsidia

Rr § extera

externa, tùm lactis materiam ad mammas deducuntia, tùm impedimenta, quò minùs lac generari possit, removentia.

Proxima autem lactis materia sanguis est. Lac enim nil aliud est, quàm sanguis in mammarum glandulosis corporibus dealbatus. At sanguinem probum ac laudabilem alimenta gignunt: & quidem ea, quæ sunt ἐὺ χυμα καὶ πολυτρόφα: cuius generis sunt, brodia carniùm, gallinarum & caporum, panatelle, ova sorbilia, quæ recentia, ubera ovium, carnes gallinarum, caporum, pipionum, turdorum, perdicum, phasianorum, attagenarum, capreolorum, hinnulorum, agnorum, vitulorum, vidualicia, modicè crassa, & rubella &c. Quod autem materia est materia, id quoque materia est materiati.

Medicamenta, nomen γαλακτοποιντικῶν meruerunt, vel quia materiam lactis ad mammas deducunt: vel quia sanguinem alterant: vel quia purgant, sanguinemque puriorem reddunt.

Materiam ad mammas deducunt vi attenuandi, incidendi, penetrandi & aperiendi. Interdum enim crassior est sanguis, quàm ut promptè ad mammas abire queat. Aliquando etiam vis mammarum attractrix debilior est, quàm ut materiam attrahere valeat. Ideoque vehiculis opus est. Prius præstant semina fœniculi, anisi, petroselinii, anethi, apij &c. Posterius quæ sanguinem alliciunt: inter quæ etiam frictiones recensentur.

Medicamenta lactis generationem alterando  
promo-

promoventia sunt duplicis generis: alia calida, cum frigus sanguinem incrassat: alia frigida, quando calor sanguinem vel adurit, vel absumit.

Medicamenta lactis procreationem purgando causantia sunt χολαγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, μελαναγωγὰ, ὕδραγωγὰ. Quamdiu enim κακοχυμία, vel ob viscerum pravam constitutionem, vel malam dietam corpus obsidet, tamdiu purus esse sanguis non potest, & propterea neque lac bonæ notæ proferre valet.

Semen similiter alimenta & medicamenta gignere creduntur, sed improprie. Efficiens enim illius causa in vasis spermaticis latet: estque itidem facultas ἀλλοιωτική eorum efficiens seminis causa: & σπερματοποιεῖς actio est planè naturalis.

Alimenta tamen σπερματοποιητικὰ dicuntur, quæ seminis materiam, h. e. sanguinem probum gignunt: qualia sunt, quæ supra commemorata: aut quæ materiam seminis flatibus implent.

Medicamenta verò talia statuuntur, quæ vel materiam sanguineam ad vasa semini generando destinata deducunt, ut sunt, quæ incidendi, attenuandi, penetrandi, aperiendique facultate sunt prædita: vel quæ semen æcrius reddunt, quod pruriturum postea & titillationem excitat: quæ tamen non tam σπερματοποιητικὰ, quàm ἀποδισιασικὰ nominantur, quòd Venerem cieant, & libidinem moveant.

Sunt verò etiam quedam medicamina, quæ  
tūm

quum lactis, quum seminis generationem procurare  
occulta & abdita qualitate solent. Lactis qui-  
dem, ut crystallus: seminis vero, ut lumbi scinco-  
rum, cervi genitale, cerebella passerum &c.

II.

An σάρκωσις, carnis generatio in ulceribus  
& vulneribus cavis, naturæ, an artis medicæ  
opus sit? Σαρκώτικόν φάρμακον est, quod deficien-  
tem carnem in vulnere, aut ulcere cavo producit,  
ipsamque cavitatem carne implet. Licet autem Na-  
tura principalis causa sit, ἰνυμύσγυς καὶ τεχνίτης  
à Gal. l. 3. m. m. c. 3. nominata, quæ sanguinem in  
carnem commutat, hancque partibus vulneratis,  
aut ulceratis apponit, & hoc nomine σάρκωσις  
rectè solius Naturæ opus esse dicatur: tamen quia  
à medicamentis quibusdam juvatur, ideò non im-  
meritò illa σαρκώτικὰ appellantur. Juvant verò  
Naturam illa, quæ ea removent, quæ Naturam in  
generanda carne, & implenda ulceris vulnerisve  
cavitate impedire possunt. Talia sunt intemperies  
partis affectæ, dolor, affluxus humorum, & excre-  
menta, quæ in ulcere, aut vulnere proveniunt.  
Intemperies varia est, calida, frigida, humida,  
& sicca, simplex, aut composita, quæ corrigenda.  
Nisi enim hoc fiat, bona caro generari nequa,  
quam potest: eò quòd Natura per nativam partis  
temperaturam carnem gignere soleat. Dolor in  
causa est, ut humores aliunde ad locum laboran-  
tem accersantur, qui quamdiu affluunt, ulcus &  
vulnus fovent, & sanationem retardant. Propterea

reā mitigandus est. Excrementa duplicis generis in ulceribus & vulneribus succrescunt: velut Galenus l. 3. m. m. c. 3. docet: tenue & crassum. Illud reddit affectum humidum, quamvis quaedam etiam illius portio insensibiliter per vaporem, quaedam sensibiliter per sudorem vacuetur: quaedam vero in membro afflicto maneat, & affectum humidum efficiat. Hoc sordidum reddit ulcus & vulnus: eodem Galeno ibid. teste. Idcirco utrumque auferendum.

Aufertur autem eiusmodi topicis, quae modice calefaciunt, moderate siccant, citra morsum & acrimoniam detergunt, minimeque adstringunt. Etenim, nimis calida carnem colliquant. Admodum sicca sanguinem, quae carnis est materia, absument. Cum morsu & acrimonia detergentia dolorem pariunt, & affluxum humorum ad locum affectum invitant. Adstringentia autem sanguinem, qui affluit, repellunt, sordemque ulceribus & vulneribus impingunt, arctiusque affigunt.

Si rogetur, quo in gradu *σχηλικά* sicca esse deceat? Responder Galenus, gradu primo. Non omnibus tamen tale adhibendum esse: sed ad naturam ulceris, & qualitatem corporis respiciendum. Et quia *σχηλικά* varia sunt: alia remissiora, intensiora alia, tum in qualitatibus ceteris, tum vel maxime etiam in siccitate, varianda quoque esse pro ratione ulceris & corporis affecti. Nam quod ulcus, vel vulnus, est humidius, eò intensiora siccantia usurpanda: quo ambo minus  
sunt

sunt humida, eò remissiora. Rursùs, si corpus naturaliter sit humidum, minùs siccans σαρκωτικόν applicandum. Siccantiùs contra, si corpus fuerit siccus. Ratio est, quoniam caro, quæ generanda, similis esse debet illi, quæ amissa. Hæc enim si siccior fuit, novellam etiam sicciozem esse convenit. Sin humidior, talem quoque esse oportet, quæ de novo gignenda. Illa igitur magis siccum, hæc minùs siccum σαρκωτικόν postulat. Hanc doctrinam idem Galenus etiam hoc modo probat: quoniam quod s. n. est, sui custodiam indicat: quod p. n. sui ablationem. Conservari autem illud per similia: hoc verò auferri per contraria. Contrarium enim contrarium destruere. Quare, cum ulceris humiditas sit p. n. patet, illam amoliendam esse per qualitatem contrariam, quæ sicca. Cum verò temperamentum res sit s. n. constat, illud custodiendum esse, sive humidum sit, sive siccum.

### III.

An κόλλησις, glutinatio, sive consolidatio, etiam Naturæ solius actio sit, an artis, & medicamentorum κολλητικῶν? Quemadmodum in cavo ulcere efficiens τῆς σαρκώσεως causa est Natura, ita & in vulnere τῆς κολλήσεως efficiens principium eadem Natura statuitur. Externum autem artis ministerium requirit, ut labia vulnervis, quæ dissident, in idem ad amussim conjungantur: quod vinculis, suturis, & fibulis præstari solet. Hæc enim instrumenta labia adducta conservant: Natura postea glutinationem, quam Galenus l. 3. meth.



meth. med. c. 4. σὺμφουσι appellat, procurat, medicamentis topicis, quæ exiccandi adstringendique facultate pollent, qualia sunt, quæ ἀωσπρά καὶ σὺφοῖα vocantur, adjuncta.

Est autem inter τὰ σαρκώικα καὶ κολλήικα notabile discrimen. Nam σαρκώικα, inquit Galenus l. 3. meth. med. c. 4. mediocriter solum siccant, quia carnem producere tenentur. Si enim vehementer siccarent, non modò saniem absorberent, sed etiam sanguinem ipsum, qui carnis est materia, consumerent. Κολλήικα autem carnem non gignunt. Quare validiùs siccant. Deinde σαρκώικα non solum mediocriter siccant, sed etiam abstergunt: ut non modò redundantiam humiditatis absorbeant, verùm etiam sordes tollant. Κολλήικα abstergere necesse non habent, sed duntaxat oras, sive labia vulnerum adducta atque commissa in unum cogere, & unire. Cùm caro gignenda, ab adstringentibus abstinendum est, quia saniem & sordem non expurgant, sed potiùs detinent, & σάρκωσι arcent: authore Galeno loco citato. Substantia glutinantium medicamentorum est crassa & terrena: calore temperata: sicca gradu secundo. Nam nec deterfione, nec acrimonia ferire debent: variare autē solent pro varietate corporum. Leviora flagitat caro mollis. Fortiora dura atque robusta. Finis est, adducta labia unire, & interjectam humiditatem absorbere. Sanies quippe interjecta unionem impedit, ait Galenus l. 3. meth. med. c. 4.

4. Num

## IV.

Num & ἐπέλωσις, cicatricis inductio, naturalis sit, an verò artificialis? Videtur & à Natura, & à medicamentis fieri. Πρώτως ab illa: δευτέρως ab his. Quod autem à Natura præstetur, exinde constat, quia Galenus l. 3. meth. med. c. 5. scribit, scopum, ad quem in cicatrizatione collimamus, ejusdem esse generis cum eo, qui est in ulcere cavo propositus, nimirum amissæ substantiæ reparationem. Eò namque nostra dirigimus medicamina, ut quod est deperditum recuperemus. Genere ergo in cavo & plano ulcere, v. g. est idem: specie verò diversus: quoniam & substantia, que generanda, & materia, ex qua generanda, diversa est. Nam substantia, que in ulcere cavo est restituenda, caro est: in plano, cui sola cutis deest, cutis. Materia carnis sanguis est. Cutis caro. Quod enim cavum est, ex gignenda carne impletur, que ex carne nascitur. At quod jam carne impletum est; ad cicatricem perducitur ex generanda cute, que ex subjecta carne producitur. Potest autem eadem specie caro in ulcere cavo generari cum illa, que perijt. Non potest verò talis omnino cutis resarciri, qualis erat, que amissa: sed tantum aliquid cutis ἀνάλογον, quod vicem ejus supplet. Cum igitur ulcus planum cicatrice obducendum sit, h. e. naturali aliquo tegumento tegendum: cutis autem vera regenerari nequeat, superest, ut summa caro cuti similis reddatur. Hoc autem fit per modum ἀλλοιώσεως. Institutum enim nostrum est, ut  
 carnis

carnis quaedam portio non amplius caro maneat,  
sed quasi cutis evadat. Caro ergo siccanda & ad-  
stringenda, ut curi fiat similis, quia cutis carne  
siccior est & densior. Hinc sequitur, ἐπελωτικὸν  
remedium tum siccans, tum adstringens esse de-  
bere.

V.

Utrum medicamentum magis siccare de-  
beat, κολλητικὸν, an ἐπελωτικὸν? Hoc posterius: id-  
que ex officio, quo utrumque fungitur, cognosci-  
tur. Nam ἐπελωτικὸν non modò humorem, qui af-  
fluit, absorbere debet, verum etiam illum, qui in  
carne continetur. Hac enim, uti dictum, siccanda,  
ut curi similis evadat. At κολλητικὸν id so-  
lummodo consumit, quod affluit, ut pars superflui-  
tatibus vacet: sic docente Galeno lib. 3. meth.  
med. c. 5.

VI.

An ablatio ὑπερσάρκωστος, carnis supercre-  
scentis, Naturæ opus sit, an medicamentor-  
um? Galenus dicit l. 3. meth. med. cap. 6.  
hanc ablationem non, ut in ulcere cavo σάρκωσιν,  
& in vulnere simplici κόλλησιν, Naturæ opus esse,  
sed sola medicamentorum ope perfici, & quidem  
vehementer siccantium. Etenim, sola Natura car-  
nem gignit in ulcere cavo, & divisa in vulnere  
consolidat: remedia autem ea solum remonent, quæ  
illius actioni obstant. At ὑπερσάρκωστος detractio  
medicamentis potenter siccantibus peragitur, quæ  
proxima sunt cathartecis.

VII.

Quomodo καθαρτικά, ἐσχαρωτικά, καὶ καυστικά medicamina inter se convenient, quomodoque differant? Convenient inter se, quia omnia sunt πυρρικά: omnia sicca: omnia quarto ordine calida: omnia aliquid de corporis nostri substantia auferunt: omnia cum acrimonia & sensu doloris operantur. Differunt verò, quòd καθαρτικά, exedentia, sint leviora: fortiora ἐσχαρωτικά, crustifica, seu crustam inducentia: fortissima καυστικά. Omnia quidem valde calida sunt & sicca, & quidem in gradu quarto: sed non in eodem ejusdem gradus ordine. Differunt & hoc modo: quoniam καθαρτικά tenuia sunt: crassiora ἐσχαρωτικά: crassissima καυστικά. Differunt denique, quia καθαρτικά in altum penitusq; non feruntur, sed extima solum, quæ contingunt, detrahunt, neque subito, sed sensim operantur. Ἐσχαρωτικά cutem & cuticulam adurunt, crustam inducunt, & quia crasse sunt substantia, minus citò penetrant. Καυστικά repente adurunt, crustam pariunt densiorem crassioremque, & non in solam cutem, sed etiam in subjectam carnem agunt, unde dolor excitatur vehementissimus.

VIII.

Quid de rubefacientibus & vesicantibus statuendum? Referuntur & illa ad classem πυρρικών. Sed mitissima omnium sunt ποικίλοισοντα, rubefacientia, quæ cutem solum calefaciendo rubrificant, & quæ altiùs delitescunt, ad illam evocant.

tant. His valentiora sunt vesicantia, sic dicta, quod vesicas & pustulas excitent. Ardoris enim vi, perinde ut aqua, aut oleum fervens, humores, maxime tenues & serosos, attrahunt, qui cum obtutus poros facile transeant, ob cuticulam vero densitatem exire nequeant, inter cuticulam & cutem colliguntur, hasque partes à se invicem separant, & cuticulam in vesicam attollunt.

IX.

Quomodo austera, acerba & acida inter se conveniant, & quomodo differant? Conveniunt inter se, I. quia omnia refrigerant. II. quia omnia siccant. III. quia omnia adstringunt. Differunt autem I. quod austera & acerba terrena sint, & substantia crassa: illa minus, hæc magis: acida vero sint tenuia. II. quod illa non penetrant, acida vero potenter. III. quod acida incidant atque dissolvant: austera & acerba nequaquam. IV. quod acerba adstringant valide: austera minus: adhuc minus, quæ acida.

X.

Utrum dentur medicamina, quæ per se & propriè indurant? Quæ medicamenta indurare dicuntur, id non per se, sed interventu vel frigoris, vel caloris, vel siccitatis, faciunt. Frigus indurat constringendo, congelandoque. Calor humiditates attenuando, & in vapores vertendo, quos postmodum discutit ac dissipat. Siccitas illas absorbendo.

Sintne *diapnixa* omnia unius ejusdemque temperamenti ac substantiæ, & num uno eodemque modo omnia urinas cieant? Negatur. Quædam enim *improprie*, quædam *proprie dicta sunt diapnixa*.

*Improprie* ea, quæ copiosam suppeditant materiam aqueam: quam postea renes ex venis & arterijs emulgentibus ad se trahunt, eamque in ureteres per carunculas papillis mammarum similes, quæ angustissimè sunt perforatæ, transcolant, à quibus postea in vesicam, veluti corporis matulam, derivatur. Hujus generis videntur esse aqua liberaliter pota, & carniam brodia magna in copia assumpta.

*Proprie dicta* rursus variant. Quædam enim, de quibus Galenus noster lib. 5. simpl. c. 13. verba facit, καλ' ἐξοχῆν *diapnixa* vocantur: suntque calida & sicca tertio ferè in gradu: partium tenuium & acria. Sanguinem attenuant, fundunt, colliquant, serumque ab eo secernunt: ut sunt radices apij, fœniculi, petroselinì, levistici, pimpinelle saxifragæ, asari, ononidis, bacca juniperi, semina dauci, & seseleos, &c. quæ sunt omnium efficacissima.

Nonnulla in calore & siccitate sunt moderatiora, quæ minùs efficacia: ut betonica, capillus Veneris, veronica, cherosofolium, cicera rubra &c.

Aliqua frigida existunt, sed tenuis substantiæ: ut sem. melonum, cucumerum, fraga, bacca alkeken-  
gi, p<sup>a</sup>

gi. parietaria, herniaria, succus limonum, serum  
lactis caprini.

Sunt quæ abstergendo humores in renibus  
visque, quæ ad illos tendunt, urinas moveant; ut  
terebinthina, laricea, amygdala amara, nuclei  
persici, glycyrrhiza, ficus, hordeum.

Sunt denique non pauca, quæ vel attenuan-  
do, penetrando, multumque aquosæ substantiæ sub-  
ministrando, inter diuretica recensentur: ut vi-  
num album, quod tenue, aquosum, & ὀλιγοφόρον.  
Vel abstergendo, & plurimam aquositatem præ-  
bendo diureticorum nomen merentur; ut quedam  
aque thermales.

Ex quibus ea, quæ largam materiam aquo-  
sam suppeditant, ascite & anasarca laborantibus  
minime conducunt. Aquas enim multiplicat.  
Conducunt ea, quæ propriè sunt diuretica, præser-  
tim calida illa, sicca, tenuium partium, penetra-  
tiva, aperientia, & cum acrimonia quadam con-  
iuncta.

Eadem etiam utilia his sunt, qui crassis succis,  
tùm in venis, tum in ductibus urinarijs abundant,  
& obstructions patiuntur.

Quæ multum aquæ porrigunt, proficua sunt il-  
lis, qui crassos adustosque humores congesserunt.  
Hos enim non solum subtiliores reddunt, admistio-  
ne substantiæ aqueæ, & per consequens fluidiores,  
verùm etiam adustos humores mitigant atque  
contemperant.

## XII.

An omnia dulcia nos nutriant? Non simpliciter omnia, sed que edendo sunt. Extant enim tum in plantarum, tum in animalium, tum etiam in mineralium & fossilium corporum alio quaedam venena, que dulcia quidem, sed non esculenta sunt, multo minus alimenta: ut Mel in Heraclia Ponti, Colchici bulbus, Aconitum: teste Dioscoride l. 4. c. 72. l. 6. c. 8. & l. 7. c. 7. Imo que excellenter, sive excessively dulcia sunt (sunt namque, ut aliorum saporum, ita & dulcedinis certi gradus secundum magis & minus) tantum abest ut nos alant, ut etiam frequenter & immodice esitata, nos plurimum ledant. Exemplo sint mel, saccharum, & mellita saccharataque omnia. Veruntur enim prompte in biliosis naturis in bilem flavam: in alijs etiam facile putrescunt, & vermium generationi segetem prebent uberrimam.

## XIII.

Cur quibus hepar est calidius, ventriculus ut plurimum sit frigidior & debilior? To orō nōrunt etiam plebeij. To diōri inquirendum dogmaticis & rationalibus Medicis. Porest verò triplex adferri ratio. I. est: quia hepar fervidius, cum ventriculo incumbat, humidum illius radicale, in quo calor fundatur, consumit. II. quia nimius hepatis calor pinguedinem quoque tum abdominis, tum omenti absorbet. Atqui pinguedo duplici nomine calefacere dicitur: primum quia ipsa actu & potentia calida est. Deinde quia  
sua



sua crassitie & viscositate egressum caloris arcet,  
& ingressum externi frigoris impedit. III. quia  
idem hepatis calor, vebementior si sit, etiam illo-  
rum viscerum pinguedinem absumit, quæ ventri-  
culo sunt vicina. Notum enim, chylosin prima-  
rio quidem ventriculi calore innato peragi, ad-  
iuvari tamen etiam à calore partium proxima-  
rum, quæ ventriculo, ut Galenus loquitur, tan-  
quam lebeti alicui sunt circumpositæ. Dempta  
autem pinguedine, propugnaculum adversus frigus  
externum tollitur. Unde Hippocrates aphor.  
35. sect. 2. asseverat, partes ad umbilicum καὶ τὸ  
ἥττω, h. e. & infimum ventrem pertinentes, crassio-  
res esse præstare. Illarum enim extenuationem &  
tabem malam esse dicitur. Rationem dat Ga-  
lenus in comment. quia tabes ista & tanquam  
signum, & tanquam causa mala est. Ut signum,  
quoniam ostendit, partes illas esse debilitatas &  
eliquatas. Ut causa, quia per eam neque bona  
sit χύλωσις in ventriculo, neque laudabilis ἀπά-  
ρωσις in iecore. Vtrumque enim membrum à  
crassitie partium ad umbilicum & infimum ven-  
trem attinentium in concoctione adjuvatur, quia  
utrumque ab illa caloris aliquid acquirit, qui con-  
coctionis causa est.

Hepar ergo calidum per se quidem calorem  
ventriculi fovere potest: per accidens autem il-  
lum ledit, pinguedinem depopulando, dictas par-  
tes tenuiores reddendo, & ventriculi humidum  
radicale depascendo.

XIV

Flatus quid? quæ illorum differentia? ubi præcipuè contineantur & consistant? quæ illorum materia? quæ efficiens causa? qui effectus? quæ sint flatuosa? quibus remediis discutiantur?

Flatus Græci vocant *φύσας*, καὶ *αερίματα* ἀτμώδην: Latini spiritus halituosos: Barbari ventositates, eo quod aerea sint substantia, sicuti venti.

Sunt humorum veluti vapores quidam, sed impuriore, crassiores & turbidiores. Vel sunt ἀναθυμιάσεις, exhalationes ex humoribus, cibusque ac potibus flatulentis à calore exuscitate.

Differentias habent varias, à quantitate, qualitate, materia, loco, in quo generantur, continentur, ac moventur, petitas.

Generantur autem potissimum in locis sensibiliter & insensibiliter cavi, ubi scilicet & efficiens, & materialis eorum causa reperitur: nimirum in ventriculo, intestinis, utero, vesica, scroto, cerebri ventriculo, bronchijs pulmonum, cavitate abdominis & thoracis, venis, arterijs, spatijs inanibus inter partes similes, & ut Galenus l. 14. meth. med. c. 7. docet, sub membranis, quæ ossibus circumdantur, aut musculos & viscera tegunt.

Materia flatuum vel externa est, vel interna. Externa sunt cibi ac potus flatulenti. Interna iuxta Galenum l. 3. symptom. caus. c. 2. l. 14. meth. med. c. 7. & comm. 5. aph. 72. crudi, frigidi, crassi, viscidè glutinosiq; humores, uno verbo, phleg-

phlegmatici. Nos addere possumus alios, nempe  
aquosos, melancholicos, atrabilarios atque adustos.

Efficiens causa juxta eundem Galenum est  
calor debilis, qui quidem in materiam agit, eam  
autem non prorsus vincit. Nam quemadmodum  
in μεγαλοκόρμω neque per vehementes aestus, neque  
per maxima frigora venti fiunt, aut nebulae, sed  
tūm solummodo, cum calor est debilis: ita, inquit  
Galenus l. 3. sympt. caus. c. 2. in homine, tan-  
quam in μικροκόρμω, omnimoda partium refrige-  
ratio causa est, ut nec cibi, nec pituitosi humores  
in ventriculo, alijsve locis alterentur. Fortis au-  
tem calor eos concoquit, attenuat, eorumque par-  
tes excrementitias dissipat. Debilis alterare qui-  
dem incipit, non autem alterationem absolvit, sed  
in flatu resolvit. Agit ergo, sed diminutè & im-  
perfectè.

Observandum autem, fortem calorem etiam  
flatu excitare posse, sed per accidens solum: qua-  
tenus vel subtiliores materiae partes in halitum  
vertit: vel a copia materiae, in quam agit, obrui-  
tur, ut eam vincere nequeat. Non igitur copio-  
sam materiam consumit, nec flatu ex illa, exusci-  
tatos discutit. Galeni sententia subscribit Pau-  
lus Aegineta l. 3. c. 38. inquiens, flatu fieri ab  
humoribus, aut cibi repida caliditate in vapores  
dissolutis. Frigiditatem enim, eò quòd attenuare  
ac dissolvere nequeat, nihil gignere flatuum. Ve-  
hementem autem caliditatem non attenuando so-  
lum, sed etiam discutendo flatuum collectionem



impedire. At minorem calorem diffundere quidem  
ac transmutare cibum, sed imperfectius.

Effectus flatuum adeo varij sunt, ut Author  
ἡσπὶ φουῶν asseverare haud vereatur, flatus  
omnium morborum causas esse. Etenim, in capite  
creant capitis gravitatem, inclinationem ad so-  
mnum, cephalalgiam, epilepsiam, si malignitatis  
aliquid in se habeant, apoplexiam, sed illam le-  
viorem breviorisque, vertiginem &c. In oculis  
suffusiones, obscuritatem visus &c. In auribus  
rinnitum, sibilum, susurrum, strepitum, otalgiam,  
auditus difficultatem &c. In thorace pleuritidem  
spuriam, & laterum dolores &c. In corde pal-  
pitationem, leipothymiam, syncopen &c. In jeco-  
re dolores vehementes, si inter parenchyma ejus  
& membranam, qua involvitur, contineantur,  
eamque à parenchymate divellant: aphor. 52.  
sect. 7. Similiter etiam in liene, in quo flatus  
sape multi. In ventriculo eruclationes, infla-  
tiones, singultus &c. In intestinis dolores coli-  
cos, & iliacos, inflationes, rugitus, murmura, cre-  
pitus &c. In utero praefocationes, si fuerint ve-  
nenati, ἐμπευαλώσεις, dolores uterinos, &c. In  
abdomine tympaniam &c. In pudendo virili  
priapismum &c. In scroto hernias flatulentas.  
Præter hosce affectus pariunt etiam in facie in-  
tumescentias: in ore oscitationes: in artibus  
palpitationes & pandiculationes: in cute tumo-  
res flatuosos.

Inter flatulenta intus in corpore recensentur

enla-

enumerati humores. Exera corpus autem cepa, al-  
lium, porrum, faba, pisa, phaseoli, castanea, nuces  
juglandes, avellana, palmula, & fici virides, uva  
recentes, fructus aestivi, pastinaca, rapa, raphanus,  
bulbi crudis, lac & lacticia, mel crudum, hydromel,  
mustum, vina dulcia, caseus recens, & infinita alia.

Flatus vero discutiant, quae illos & in cor-  
pore, & in eius ambitu dissipant atque consu-  
munt: ut sunt ex simplicibus, semina anisi, fo-  
eniculi, carui, cumini, coriandri preparati, pe-  
troselini, anethi, ammeos, amomi, apij, dauci,  
baccæ lauri, bacc. juniperi, cubeba, piper, zinzi-  
ber, caryophylli, cinnamomum, crocus, galanga, ma-  
cis, cardamomum, ruta, absinthium, origanum, pu-  
legium, calamintha, satureia, serpyllum, hyssopus,  
thymus, rosmarinus, majorana, salvia, melissa, cala-  
mus aromaticus, rad. angelica, imperatoria, he-  
lenij, cardui benedicti, cortices auranciorum, ci-  
triorum, limonum, plurima alia.

### XV.

Quotuplicia sunt medicamenta ἐκκλικά, sive  
ἐκκυστικά, sive ἐπισπαστικά. attrahentia? De hisce  
pharmacis egit Galenus l. 5. simpl. c. 17. eaque  
in tres classes digessit. In prima continentur ea,  
quae temperamenti sunt calidi, & calore attra-  
hant. In secunda quae hoc faciunt ἐκ σνκροδόντων  
ob putredinem. In tertia, quae ὁμοίότητι τῆς ὀλης  
ἰσίας, similitudine totius substantiae, attrahunt.  
Hoc Galeni placitum sequuntur quidam recen-  
tiores, inter quos elucet Fernelius l. 6. meth. med.



§. 9. Verùm τριχολομίαν istam nos commodè ad  
 διχολομίαν reducere possumus. Nam attrahentia  
 vel attrahunt qualitate manifesta, vel occulta.  
 Quae manifesta id efficiunt, aut putredinis sunt  
 expertia, aut putredinem conceperunt. Putre-  
 dine carent Lepidium, Nasturtium, Flammula Io-  
 vis, sem. Eruca & Sinapi, rad. Pyrethri, rad. Thapsia,  
 Euphorbium, Allium, Tithymalorum species, rad.  
 Ari &c. Quae omnia calore attrahere dicuntur:  
 suntque calida vel in tertio, vel in quarto gradu:  
 ex quib. quae calidiora sunt, attrahunt potentiùs:  
 & ab effectu nomina peculiaria acquisiverunt:  
 vocanturque rubrificantia, vesicantia, catheretica,  
 escharotica, & caustica, in genere τρυπητικά, quia  
 igneam caliditatem habent. Huc pertinent & si-  
 napismi, qui à materia sua denominantur, &  
 δριπτακτες, qui τὰ ἀπὸ τὸ δριπτεῖν appellati cre-  
 duntur: quoniam ijs pili quasi δριπτοὺς evellun-  
 tur. Actio illorum à Medicina proceribus τριχλωσίς,  
 picatio, quasi picis ad cutem illitio, nuncupatur.  
 Et quia calida haecce pharmaca humores ex alto  
 trahunt, etiam μελαουρυκτικά ab iisdem nuncu-  
 pantur. Si quæras, quidnam extrahant? respon-  
 detur, res varias: v. g. spiritus, vapores, & humo-  
 res, pituitam scil. & serum è cerebro per nares  
 & os: sanguinem ex alto in cutem: menses item,  
 secundinas, & foetus mortuos per uteri cervicem:  
 vermes per intestini extremum: furculos, spicula,  
 ossiumque squamulas partibus infixas.

Quae putredine attrahere putantur, id simili-  
 liter.

liter calore prestant: quia quae putrida sunt, calore valent: ut simus columbinus, anserinus, capriluc, gallinaceus, qui tamen prioribus est infirmior.

Quae occulta qualitate & ὄλη τῆ ἐσία attrahunt, varia itidem sunt: v. g. scorpius, qui vulnere, quod inflixit, impositus deleterium venenum, quod est ejaculatus, evocat, medicamenta purgantia, quae secundum Galenum & Hippocratem partim vi attrahente, partim natura expellente noxios evacuare humores solent. Talis vis attractrix inest Magneti, qui ferrum allicit: Succinos quod calefactum paleas ad se trahit, &c.

Quae geminam in se habent attractionis causam, v. g. & calorem & similitudinem substantiae ea fortius attrahunt ijs, quae unam tantum attractionis causam sunt sortita.

#### XVI.

Quanam attrahentibus medicamentis sint opposita, & quomodo ab ijs differant? Opposita attrahentibus sunt ἀποκρηστικά, repellentia: quoniam illa trahunt ab interioribus ad exteriora: haec ab exterioribus ad interiora repercutiunt. Differunt ab attrahentibus non agendi solum modo, sed etiam temperamento, & substantia. Sunt quippe frigida & crassa: & quò magis sunt talia, eò etiam vehementius repellunt. Attrahentia contra calida sunt, & tenuia.

#### XVII.

Quorsum referenda ψιλώβρα? Ad τὰ συσφαιτικά. Nam urendi erodendique facultate polent, & si distinctius cuti adhereant, eam exultant.

ταύτα

rant, vel pustulas excitant, aut crustam inducunt.  
Hoc verò nomen acquisiverunt, quòd pilos extir-  
pent, partesque  $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\varsigma$ , glabras & nudas efficiant.  
Galenus lib. 1. de compos. med. καλ. τόπ. C. 4.  
tres eorum differentias proponit. Quædam enim  
 $\iota\delta\iota\omega\varsigma$  vocantur  $\psi\iota\lambda\acute{\omega}\theta\epsilon\alpha$ , depilatoria, quæ partem  
aliquam ad tempus solùm denudant, non etiam  
radicitus eos extirpant. Nonnulla  $\lambda\epsilon\pi\iota\upsilon\lambda\iota\kappa\acute{\alpha}$ , at-  
tenuatoria nominantur. Aliqua  $\acute{\alpha}\nu\alpha\psi\epsilon\lambda\iota\kappa\acute{\alpha}$ , quæ  
pilos ita auferunt, ut non amplius renascantur,  
quæ periculosa censet: eò quòd non solùm erodant,  
uti duo priora genera, verùm etiam exurant, si  
diutius cuti immorentur.

Usurpantur autem  $\psi\iota\lambda\acute{\omega}\theta\epsilon\alpha$ , vel ornatus, vel  
necessitatis gratia: cùm scil.  $\tau\omicron\pi\iota\kappa\acute{\alpha}$  partibus pilo-  
sis applicanda. Auferendi enim sunt pili vel for-  
fice, vel novacula, vel  $\psi\iota\lambda\acute{\omega}\theta\epsilon\omega$  aliquo, ut  $\tau\omicron\pi\iota\kappa\acute{\alpha}$   
adherere, rursusque sine dolore removeri queant:

#### XVIII.

Qualia sint  $\iota\delta\psi\omega\iota\kappa\acute{\alpha}$ , & quomodo sudores  
moveant? Calida sunt, sicca, tenuium partium  
aperiunt, penetrant, attenuant, incidunt, rarefa-  
ciunt. Humoribus ergo attenuatis, & in halitum  
mutatis, porisque cutis patefactis, fit, ut ad cutim  
impellantur halitus, propè poros commorentur ali-  
quantulum, condensentur, & in aquam vertantur,  
quæ per poros postea guttatim exire consuevit.  
Hunc enim generationis modum etiam exercitia  
corporis, balnea tùm humida, tùm sicca, & quæ  
tegumenta, fomenta, lagenæ & tegula calentes  
corpori admoventur, ostendunt. Calor namque  
exter-



externus humores attenuat, attenuatos foras evocat, & ad poros cutis, quos aperit, invitat, è quibus tandem effluunt.

Extant quidem etiam id *ῥωλικὰ*, quæ frigida: ut lapis bezoar, cornu cervinum, terra Lemnia, terra sigillata &c. sed hæc non manifesta, verum occulta qualitate malignos humores ad ambitum corporis pellunt, & venenis resistunt.

### XIX.

Qualia sint, quæ secundinas & foetus mortuos expellunt, ob id *ἐκβάλλια*, καὶ φθόρια cognominata? Quædam rursus abdita qualitate hæc faciunt: ut Sulphur, Galbanum, Sagapenam, Opopanacum, suffitus ungula asini, Cucumis asininus, Camphora, Myrrha &c. Quædam venas aperiendo, menses movendo, validè detergendo, ut Pulegium, Polium, Sabina, rad. Aristolochiæ, rad. Gentianæ, rad. Dictamni Cret. rad. Rubiæ tinctorum, sem. Dauci &c.

Dicuntur autem *ἐκβάλλια*, ejectionaria, sive ejectiones medicinae, à verbo *ἐκβάλλω*, quod eicio, & expello sonat: quod foetus enectos ex utero eiciant, seu abigant.

*φθόρια* à verbo *φθείρω* nomen habent, quod significat vitio, corrumpo: quia talia medicamina corruptiva sunt, & corrumpendi, seu perdendi extinguendiq; vim obtinent. Hinc apud Dioscoridem l. 5. *φθόριον* ἔμβρυον οἶνον, vinum, quod foetus necat, vinum abortivum. Et Plinius vinum scammoniatum *φθόριον* vocari scribit, quoniam abortus facit. Generaliter autem vox hæc accipitur

pro

pro ijs medicamentis, quæ valent ad abigendos ex  
utero fœtus, seu vivos, seu mortuos. Generalius  
adhuc videtur in usu id esse pharmacum, quod  
φδοροποιον appellatur, quod alias etiam φδαελικον,  
και δηλητηριον nominatur, à verbo δηλέω, quod idē  
est cum τῷ βλάω, φδέρω, ludo & corrumpo, phar-  
macum nocivum, quale est, quod venenatum.

Cæterum, φδορια και εκβολια necant & expel-  
lunt fœtus atq; secundinas varijs modis usurpata:  
nempe comesta, pota, & in forma pessi, unguenti,  
cataplasmati, emplastri, fomenti humidii & sicci,  
metrenchyta, balnei, suffitus & evaporationis, foris  
adhibita. Sunt, quæ & solo gustu, aut olfactu idem  
prestant.

XX.

Qualia sint, quæ vermes necant atque ex-  
pellunt? Similiter varia: alterantia in genere  
& vacuantia. Illa vel manifestis alterant qua-  
litatibus, ut sunt quæ amara, quæ acria, quæ aci-  
da, quæ admodum salsa: vel occultis. Ex priorum  
ordine sunt Absinthium, Carduus benedict. Gen-  
tiana. flor. Persicor. Lilior. convall. Centaurij minor.  
Tanaceti, Agerati, Lilior. convallium, sem. Citri, Au-  
rancior. Limon. Rosa, Zedoaria, Cichorium, quæ amā-  
ra. Raphanus marinus, Allium, Ceba, Porrum, Nico-  
tiana, quæ acria. Acetum, succus limonum, auran-  
cior. berberum &c. quæ acida. Aqua marina, aq.  
muria &c. quæ salsa. Ex posteriorum albo sunt  
Corakina, semen Santonicum, Scordium, sem. Sophie  
cheirurgorum, Porculaca. Hæc quæ vacuant,  
purgantia sunt: ut Aloë, Rhabarbarum, Colocyn-  
this, Scammonia, Argentum vivum, &c.

F I N I S.

24d 2663

ULB Halle  
006 549 195

3



16  
WOM

MA





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Dark Grey
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

27

M  
M

23.24.  
quin-  
to-

Argen-  
ita

ZIO,  
SORE  
Cæsa-

KISIO,

I,  
PERI.